

DOMINE CŒLI ET TERRE. Significatur non fieri Dei impotentia, quod sapiens Evangelio non obediant; fieri autem pro arbitrio voluntatis Dei, quod parvuli obediant. Totus enim orbis cum sit Dominus, facti quæcumque vult, sapientibus idiotas præfert, etc.

QUOD ASCONDISISTI, quod absconderis. Abscondit, non quia, visu facilia cum sint, facit ne visu obiciantur (neque enim homini visu facilia sunt), nec quia non proponit videnda (Christus enim omnibus promiscuè se doctorem obtulit), sed quia non revelat; quia oculos non aperit ita ut videant, quia mentes non illuminat ita ut credant. Non igitur de externâ prædicatione loquitur, sed de internâ Spiritus sancti illuminatione.

HÆC, mysteria regni cælorum, et magnifica gratiæ tuæ munera per Evangelium à me et discipulis meis promulgata.

À SAPIENTIBUS, qui ingenio et doctrinâ pollent. Per concessionem loquitur; eò quod sapientes à mundo habeantur; non enim laudabilem illam celestemque sapientiam intelligit, sed hanc quæ seculari doctrinâ præstatur.

ET PRUDENTIBUS, intelligentibus. Huiusmodi erant sacerdotes, scribe et Pharisei, cæterique periti legis qui habebantur, in Capharnaum et aliis Judææ civitatibus, quibus Evangelium Christus prædicavit; horum enim pauci crederunt. Eroditio ingenique acumen nullius est momenti ad fidem obtinendam: è contra inculta non obstat misericordiæ Dei, quominus rudes et crassos homines celestis sapientiâ illustret.

ET REVELASTI, et revelaveris: illustrans mentes interno Spiritus tui lumine, corda aperiens ut prædicationi acquiescerent.

PARVULIS, ad verbum, *infantibus*, id est, idiotis, iis qui nullo sapientiæ titulo clarent, qui nullius sunt à mundo, non pluris quam pueri infantes. Fortè alludit ad illud Davidis: *Ex ore infantium*, Psal. 8, v. 5. Huiusmodi erant apostoli et discipuli plerique omnes Salvatoris; quos hæc divinæ laudis celebratione, et solatur quia parvulos, et animat ut vocatos, et reprimit ut Dei revelatione non suo studio fidem assecutos. Hoc modo se habebat Ecclesia et apostolis postea prædicantibus; vide I Cor. 4, v. 26 et seq., ubi etiam ratio huius divini consilii exprimitur, de stercore erigentes pauperes. In quo consilio Christus hic sibi placet et gratulatur, ut ne quis vilem tunc et obscurum Ecclesiæ statum despiciere auderet. Revelatio magnarum rerum, non studio nec merito suo discipulis concessa fuit, sed Dei dono. Illud intelligendum illis dabat, ne magnum quid de se crederent atque inflarentur, quia dæmonia eis obtemperarent.

ETIAM, vel *rectè*, PATER. Sic profectò fecisti, et quidem *rectè*, ó PATER. Nominandi enim casus Græcis est pro vocandi, ut et Marci 15, v. 54. Repetitio autem ista, vehementer approbantis est, ut nefas sit negare aut damnare, quod tantâ asseveratione confirmatum est: similis Luc. 12, v. 5.

ANTE TE, pro tibi. Verè et *rectè*, ó Pater, fecisti,

quia sic placuit tibi. Non dicit quâ ratione sic ei placuit, sed tantum quia placuit. Laudat Patris factum Christus, et rectum ostendit, eà solâ ratione quod ipsi sic placerit; non delectatus malo reproborum, sed iusto Patris iudicio. Docet itaque nos, non discutere Dei iudicia, illos reprobanis, hos eligentis, sed laudare ea et prædicare, vel hæc solâ ratione, quod Deo sic placeat, cujus voluntas definita, quando nobis cognita est, pro summâ ratione et iustitiâ celebranda; beneplacitum, pro mille rationibus amplectendum est; quamvis interim non prohibitus sit dolor quem, ex consideratione mali proximos occupantis, sancti concipiunt, nisi modum excedat, et in contentionem aut murmurationem vertatur. Nec probationis igitur, nec prædeterminationis, hominum ex damnatâ progenie natorum, horum, præ aliis, causa querenda est alia, quam Patris celestis voluntas per se ipsa rectissima; quo rursus documento discipulorum suorum Christus animos à fastu præmunis, dum intelligunt, electionem sui, non ipsorum meritis, sed gratuito Dei beneplacito ascribendam.

VERS. 22. — OMSIA MIHI. Mutat sermonem, ita tamen ut intelligi possit mansisse vultu ad Patrem in cælos deixo. Ne existimarent discipuli audiores, Patre inferiorem esse Filium, ut qui Patri gratias agat, Dominum cæli et terræ agnoscat, et, aliorum executionem, aliorum illuminationem, soli ipsius beneplacito ascribat; dicit, homo licet sit, à Patre tamen sibi data ea omnia quæ Pater habet, naturam, inquam, Dei, et quæcumque illam comitantur, potentiam, dominium, facultatem gubernandi salvandique homines, etc., quo modo et Joan. 16, v. 15, dicit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.*

TRADITA SUNT. Non per alienationem, sed per communicationem, quæ facta est ab æterno per generationem, cui nihil deerit etiam tum cum accessit humana generatio. Significat itaque æqualem se esse Patri; et proinde unam et communem sibi esse cum Patre potentiam, voluntatem, atque operationem, quâ aliis rejectis, aliis revelat regni cælorum mysteria, quibus visum fuerit, non prædicando extrinsecus in aures, quod ipsius erat secundum humanitatem, sed mentes intrinsecus illuminando. Quare et discipulorum animos anxios (quales esse poterant ex eo quod intelligerent, pro celestis Patris, lucem habitantis inaccessibilem, arbitrio, citra discrimen meritorum, alios prædestinari, reprobari alios) exhilarat, dum Patrem nihil operari docet absque ipso, qui per humanitatem expositus omnibus est, mediator Dei et hominum constitutus. Observa itaque à Christo Domino hic notari duplicem naturam suam, unam quâ Patri æqualis est, alteram quâ homo hominibus expositus.

ET NEMO, nullus autem. Occurrens objectioni illi quam aliquando audivit: TU DE TEIPSO TESTIMONIUM PERHIBES, ne existimetur temerè sibi arrogare summa ista, explicat nulli se nisi Patri notum, et proinde non mirandum, si non credant in ipsum, nisi ii quorum mentes Pater secretâ illustratione dignatus fuerit. Nulli autem notum se dicit, subaudi creaturæ,

nullus à Patre essentia distinctus novit; non enim excluditur Spiritus sanctus, nullòque minus ipse Filius, quibus est eadem una cum Patre natura. Cæterum parca est in Evangelis mentio de Spiritu sancto, ante discessum Salvatoris: prima enim cura Salvatori fuit, Patris et Filii cognitionem discipulorum mentibus imprimere: postea verò ubi discessum pararet, etiam ea docere quæ sunt Spiritus sancti: non enim simul omnia capi à rudibus poterant. Ut itaque vetus Testamentum unum Deum; ita novum, Deum Trinitatem nos docet: illud enim prius inculcandum fuerat hominum cordibus.

QUIS SIT FILIUS, quis sim ego; me Dei Filium esse, divinam meam generationem, naturam ac majestatem, Patris naturæ ac majestati æqualem. Filius et Pater, generatio naturaque divina, omnem creatæ cognitionis vim transcendunt: nec nisi revelatione cognosci possunt.

NISI PATER, qui illum genuit. Ille solus novit per spectumque habet Filium unicum ex sua substantiâ à se esse genitum, ille solus intelligit et comprehendit huius generationis mysteria.

QUIS SIT PATER. Ante Christi prædicationem, *notus in Judæâ Deus, in Israël magnæ nomen ejus*, sub ratione Dei, non sub ratione Patris: quo modo interpretatur B. Augustinus illud Joannis 17, v. 6: *Manifestavi nomen tuum hominibus*, de nomine Patris.

NISI FILIUS, ante Luciferum ex illius utero genitus. Æqualis Filii cum Patre, ex mutue et æqualis cognitionis secreto.

ET CUI VOLUERIT; nam pro voluntatis suæ beneplacito, non pro meritis hominum, revelat Filius quemadmodum Pater.

FILIUS REVELARE, mentem illius donans huius rei lumine. Agnosce iterum æqualem Filii cum Patre virtutem in revelandis secreto afflata fidei mysteriis. Non enim de externâ prædicatione etiam miraculis confirmatâ hic agitur: ad illam enim multos admittet Christus, quibus tamen Patrem non revelabat, eò quod intus illos non doceret, hoc est, intellectum illorum suæ doctrinæ non subiceret: hoc enim in primis necessarium est. Huiusmodi porrò distinctio, ut Pater quidem revelet Filium, Filius autem Patrem, servit docendis rudioribus, cum alioqui Patris et Filii eadem una sit in omnibus operatio. Igitur et Filius Patrem novit, et is cui Filius Patrem revelat, sed discrimen immensum est inter utriusque notitiam, cum ille nature æqualitate, hic revelantis dignatione cognoscat: ille notitiâ comprehendat omnem abyssum perfectionum patrum, hic non amplius cognoscat quam gratuito Filii dono illi reveletur, ut nec totius est capax.

VERS. 23. — DIXIT. Græcè et Syriacè additur *eorum*: quod quidem, et ad *conversus* referri potest, ut refert Syrus, et ad *dixit*; estque id quod Marcus ait c. 4, v. 10, *cum esset singularis*; faciliè verò intel-

VERS. 25. — ET ECCE QUIDAM LEGISPERITUS SERREXIT. Alius videtur fuisse ab eo quem Mathæus introducit c. 22, quarentem quod sit mandatum ma-

lignitur, etiam si Latina editio non exprimat. Quocirca non existimandum est, hoc, continuo post præcedentia sermone dictum esse, præsertim cum Mathæus narrare videatur opportunissimum occasionem quâ dictum sit.

QUI VIDERET corpus simul et animi sensu, ita ut suspiciant et amplectantur. Beati vos aliique huius ætatis vobis similes, quibus contigit hoc bonum, ut presentem videant et recipiant Christum.

VERS. 24. — MULTI PROPHETE. Gratiam discipulis factam aliâ comparatione amplius etiam extollit. Non illorum tantum reproborum conditione, vestra melior est; sed et plurimorum electorum Dei, et eorum Dei donis inter homines celeberrimorum. *Multi enim prophete*; non dicit *omnes*, non quia non omnes, sed quia non necesse sit scire an omnino omnes. Propheete imprimis consilii fuerunt futuri adventus Messie et eorum quæ per eum gerenda erant ad redemptionem generis humani.

ET RECES, et inter justos plurimos quidem etiam regno clari, David imprimis, quod Psalmi loquuntur.

VOLUERUNT, submitis votis desiderarunt, ita tamen ut se Deo submitterent in temporis plenitudinem. Nec verò fieri aliter potuit, quin sub œere maledictionis, quo oppressum est genus humanum, promissæ liberationis desiderio laborarent. Sciamus ergo quos famelicos ad Christum suspirasse; et tamen tranquillam fuisse eorum fidem, ita ut Deo non obstrepere, sed patienter animos suos suspenderent usque ad maturum revelationis tempus.

VIDERE, suis oculis presentia, quæ futura credebant, Christum, inquam, Dei Filium caro factum, mundi salvatorem, ejusque opera admiranda quæ ad servandum hominem, patraturus erat, promissionum denique impletionem. *A longè hæc aspexerunt et salutarunt*, quod Apostolus ait ad Hebr. 11, v. 15; voluissent autem ea propè videre et presentia fieri, non tantum pro oculorum recreatione, verum multo magis pro animi: longè enim majorem afferunt animo voluptatem, res ex promisso presentes, quam futura, tum propter desideratum effectum presentem, tum quia perfectius intelligunt et comprehendunt, cum futura omnia obscura sint humana menti; ut omitam, dum res præsens exhibetur, plurima singularia ferè apparere, quæ non fuerint cum re præcipuâ prophetis declarata.

QUÆ VIDERIS, quotidè; absolvitur à tempore.

ET NON VIDERUNT, quia nondum advenerat temporis plenitudo.

ET ADIBE me regnum cælorum ejusque mysteria prædicantem, explicantem atque tradentem: ut qua ipsis in figurâ aut parabolis et similitudinibus tradebantur prædicanda et expectanda, ab ipso tantorum mysteriorum pontifice narrata et expedita explicataque perciperent, Hebr. 4, v. 2, et 2, v. 5.

VERS. 25. — ET ECCE. Ecce autem quodam tempore in lege, sicut probabilis arbitratur August., et multis probat lib. 2 de Consensu, c. 75, *tentans filium*, id est, tam scire volens veritatem, quam expe-

pore. Non est intelligenda continua series hujus historiae cum precedentibus.

LEGISPERITUS, id est, scriba, profertur scientiam legis, et verba quidem legis tenens, sed vim legis ignorans.

SURREXIT, postquam sedens audisset ipse aliquandiu docentem in synagoga Jesum, surrexit tandem ut aliquid interrogaret.

TENTANS EUM, experiri volens an non esset aliquis à lege alienum responsurus (id enim ex Domini responsione manifestum fit), ut quasi apostatam et impii defectiois autorem exagitaret.

ET DICENS, id est, hujusmodi verbis, proposita hujusmodi quaestione.

QUID FACIENDUM, per quae tandem opera. Eadem est quaestio hujus scribae, quae principis adolescentis, de quo infra 18, v. 18; quamquam alio atque alio animo proposita, quam Matth. 19, v. 16, et Marc. 10, v. 17. Quid faciendum mihi doces, ut eam quam semper praedicas et promittis aeternam vitam obtineam?

VITAM AETERNAM, vitam aeterno beatam (nam quae aeterno misera est, mors esse censetur, non vita), regnum caelorum, quod tu praedicas et promittis. Utilissima quaestio, praese ferens conjunctam eam obediendi promptitudinem quam desideres. Audiat, credo, ait Venerab. Beda in Marcum, iste quisitor vitae aeternae à Domino, tantum eos qui parvolorum sint similes, dignos esse introitu regni caelestis; atque ideo curam gerens tractatis certioris, poscit sibi, non per parabolas, sed aperte, quibus operum meritis vitam aeternam consequi possit, exponi.

VERBIS, 26. — DIXIT, ostendens cognitum sibi dolens versutum ipsius.

IN LEGE MOYSIS QUID SCRIPTUM EST, ut primum et maximum omnium mandatum? quid praecipue faciendum praecipit lex Moysis? quomodo legis illic in summa praecipit? Q. d.: Non existimes me dicentem aliquid contrarium legi. Ex lege petendum doceo hujus solutionem quaestionis. Tu igitur qui legis scientiam profiteris, ipse responde quid lex praecipue requirit ab hominibus; hoc enim ego dixero tibi faciendum, ut acquiras vitam aeternam. Non quaerit quid in lege scriptum sit, aut quid in ea legat, de vita aeterna, de qua nihil expressè scriptum est aut legitur in lege; sed quid potissimum lex exigit, quid praecipue requirit, quid in summa faciendum praecipiat. Reipsa igitur rogat hic Jesus, id quod ipse postea rogatus fuit: *Quod est mandatum magnum in lege?* Matth. 22, v. 36. Quare etiam Lucas omittit illam Matthaei et Marci historiam.

ILLE RESPONDENS. Ille gaudens sibi occasionem dari, ostendenda non vulgaris suae in lege peritiae, illic respondit.

DILIGES, q. d.: Hoc in lege scriptum est, ut primum utrumque diligas, ut scilicet Deum et proximum. Vires, id est, possidebis vitam aeternam, quod à me quaesivisti. Tandem hoc est atque illud Matthaei 19, v. 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

num et maximum omnium mandatum; hoc praecipue faciendum praecipit lex, hoc caput et summa est eorum omnium quae in lege praecipiantur, in hoc enim caetera omnia legis praecipia continentur. Hinc intelligitur, non prorsus ignotum fuisse scribis, quod esset maximum inter legis mandata (quam quaestionem proposuerunt Jesu, Matth. 22, v. 36), sed controversum fuisse inter illos, aliis opinantibus esse hoc praecipium dilectionis, ex quibus fuit iste; aliis praecipium sacrificiorum.

DILIGES, futurum indicativi, loco imperativi, Dilige, more Hebraico. Alloquitur Moses populum Dei. Dilige ut filius patrem, non time ut servus Dominum; Dilige, inquam, id est, benevolo ac suavi amoris affectu complectere in pretio habitum. Caeterum non interior tantum amoris actus hic praecipitur, sed et exterior qui ab interiore proficiscitur; nec actus solum, verum etiam habitus, ut si quando atque non ames Deum, nihil tamen agas quod adversetur amori ejus, quodque nobis ad ipsius amorem et honorem esse relatum.

DOMINUM. Utitur hic Moses nomine tetragrammati, Deo proprio, perinde ac si diceret: Diliges Jesum. Illud autem cum sit nomen essentiae Dei, causam simul continet ob quam diligendus sit Deus, et quidem ex toto corde, quod sequitur, id est, super omnia et propter seipsum: quia videlicet est ipsum primum eorum summumque bonum, omnis cuiusvisque boni principium, ac praeinde primum summumque quod diligere et amari mereatur.

DEUM, qui est unus solus verus Deus, creator, conservator, gubernator, et iudex, totius mundi hujus.

TUM, qui te in populum peculiarem elegit atque adoptavit, qui te vicissim diligat, defendat, ornat, et innumeris beneficiis incessanter allicit, quem et tu denique solum colendum receperis. Hic iterum alia causa suggeruntur amoris, et priore quidem nomine, Dominus, significatur amore dignum esse ex propria natura; hoc verò, Deus tuus, ex beneficiis in nos collatis, quia prior ipse dilexit nos, ita ut non tam amari à nobis quam redamari jubeatur; nihil est enim facilius quam redamare amantem. Denique innuitur, si illi colendo nos ipsi obstrinximus, hunc cultum inprimis exigi, ut ipsum diligamus.

EX, in legitur Graeco et Hebraico, in hoc quemadmodum in sequentibus membris; quamquam utrumque tam in quam ex Latine supervacaneum est.

TOTO CORDE TEO. Non satis habet lex praecipere ut diligatur Deus, sed addit, ex corde, ut eum vero, sincero solidoque amore prosequaris; nec hoc satis, verum adjungit etiam, ex toto corde. Qui diligit Deum non ex corde (quales illi de quibus psalmus 77, v. 36: *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo*) hypocrita est: qui diligit corde non toto, aliud diligit, non Deum, Dei enim dilectio cor totum sibi vindicat, non capitur nisi corde toto. Opponitur autem cor totum cordi diviso seu dispersito, opponitur et cordi remisso ac languido. Ut opponitur cordi diviso, toto corde diligendus est Deus, quia nihil diligendum est, nisi vel Deo ipse vel id quod Deo placet. Qui aliquid quod Deo displicet cum Deo diligit aut facit, vel amat partim ea quae Deo placent, partim ea quae displicent; corde non toto seu integro, sed dissecto ac dispersito in amorem alienum, Deum diligit, ac proinde nec diligit: exemplum est Deut. 13, v. 5, et 4 Regum 10, v. 51. Diliges itaque Dominum ex toto corde tuo, id est, Dominum diliges et omnia quae Dominus diligit quaeque Domino placent, nihil autem eorum est quae Dominus odit vel quae ipsi displicent. Hoc est autem verum, solum Dominum Deum dilige, Deum nimirum propter seipsum, caetera autem omnia propter Deum, vel quia Deus ea diligit diliges, vel quia odit oderis. Porro ut opponitur cor totum cordi remisso, toto corde diliges Deum, id est, totum te des totaque incumbas diligendo Deo, quod est, nihil aequè tibi sit cura ac Deum diligere, et studere ut ipsi placeas, nihil tanti facias quanti amorem Dei: sic enim communi modo loquendi totum animum libris sacris applicat, cui nihil aequè est cura ac studium sacrorum librorum. Jubeatur amorem Dei et studium placendi Deo, praeter rebus omnibus, studiosissime diligentissimeque huic rei incumbere, nihil magis aut aequè diligere ac Deum; non quidem secundum intentionem, quamquam hoc Deo sit dignum (fit enim ut homo justus majori amoris ardore feratur in parentes aut liberos quam in Deum), sed secundum pretium et aestimationem, ita ut nihil sic habeamus in pretio ut Deum, nihil tanti aestimemus aut faciamus quanti Deum, semper parati jacturam omnium etiam vitae nostrae pati, potius quam admittere aliquid contrarium dilectioni Dei. Hoc est autem totum quod dici solet, Deum super omnia diligendum. Nam qui diligit aliquid plus quam Deum, aut aequè charum habet ac Deum, non ille toto seu perfecto corde diligit Deum, sed corde remisso ac flaccido pusilloque animo, ac proinde nec diligit. Posterior haec ratio totius cordis versatur circa modum diligendi, prior circa res dilectas: utraque paucis clarisque verbis sic explicatur: Diliges Dominum Deum tuum propter seipsum super omnia: caetera vel diliges vel oderis propter ipsum.

TOTA ANIMA, toto animo.

OMNIBUS VIRIBUS, alibi vertit, tota virtute seu fortitudine.

MENTE, sive cogitatione. Hebraico Moyses loco mentis scribit fortitudinem; Marcus et Lucas evangelistae, qui et Syriacum Matthaei Evangelium, utrumque exprimunt, et mentem et fortitudinem. Porro non sunt tria haec, cor, anima, mens, anxie distinguenda: cordis enim nomine, et affectus declaratur qui dicitur anima, et intellectus qui dicitur mens. Majoris explicationis causa, nunc tria, nunc quatuor exprimuntur in hoc loquendi genere, postquam in-

terdum duobus solis, ut 4 Reg. 23, v. 5, saepe unico hoc, ex toto corde, nihil minus Scriptura velit significatum. Ad epistolas igitur vehementiamque declarandam idem hic tertio repetitum est, in quo omnino tibi significetur et inculcetur, ut Deum solide, quantum potes, super omnia diligere studeas, certus, quantumcumque, etiam extremum, studium adhibeas, semper illum mereri majus, nec fieri posse ut modum excedas si dignitatem ipsius consideres: nam, quod quidam ait, *modus amandi Deum sine modo est.* Lex ista, ait Victor Antiochenus in Marcum, ejusdem verbi circa eandem materiam repetitione praeter ceteris abundat; habet enim: *Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* Facit hoc autem, quod hominem tanto Dei amore flagrare debere demonstrat, ut nihil prorsus in ullam omnino animae facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat aut diminuat aut alio transferat; haec Victor. Caeterum non praecipitur haec lege extremus ille amoris gradus quod Deus dignus est, ut quem nec angeli assequantur; nec mandatur ut continuo perpetuoque amoris affectu atque actu feraris in Deum, citra omnem distractionem animi cordisque divisionem, hoc enim non est nisi bestiarum; nec jubetur denique ut careas concupiscentia carnis legi Dei rebellanti, quod non est in potestate hominis mortalis; sed praecipitur ut, pro conditione hominis mortalis, quoad ejus fieri potest ab homine mortali (est enim sermo ad hominem mortalem), diligas Dominum Deum tuum propter seipsum super omnia, si non actu semper, ab habitu; ita nimirum animo semper comparato, ut nihil tanti facias quanti Deum, omnique tua ad ejus honorem velis esse relata, paratus quidvis pati potius quam admittere quid quod ejus dilectioni adversetur, quemadmodum jam explicuimus. Prava concupiscentia, quae occupat appetitivas hominis vires, nisi regat hominem, seducta parte utente ratione, non reddit reum transgressi hujus mandati; ino quo virilitas constantisque illi resistit homo, eamque refrenat et subjugat, eo magis in Dei amore exercitatur et proficit. Quocirca Scriptura etiam ipsa testatur, ab hominibus mortalibus praecipuum hoc observatum fuisse. Scribit enim in primis de Josia Rege, 4 Reg. 23, v. 25: *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Rursus de Davide, 5 Reg. 14, v. 8: *Non fuit sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Atqui David transgressus est hoc praecipuum quando adulterio homicidium conjunxit. Rectè quidem, sed semel transgressus praecipuum, non est censendus nunquam observasse, praesertim transgressionis venia à Deo impetrata. Quòd si angelis hominibusque beatis ferenda esset lex charitatis (ut ceteris destructis charitas nunquam excidit, 1 Cor. 13, v. 8), non alius

verbis opus esset eam ferre, quam quibus hic fertur; quæ quidem tunc pro conditione angeli hominisque beati interpretanda forent: Dominum Deum tuum, primam principium et finem ultimum summumque bonum tuum, quo tibi, ipse dono, frui datur, suavissimo charitatis affectu complectere, hunc solum, neglectis cæteris omnibus rebus, cogita, contemplare, desiderare, dilige incessanter, omnes cogitationes tuas, omnem vitam, et omnem intellectum, in eum conferre, ut quæ habes ea ipsa quæ confers, denique omnibus animi ac naturæ viribus in ejus amorem æternum rapere, eoque inflammare et delectare, nec sit in te quod repugnet aut adversetur. Sed quando fertur lex ista mortalibus, intelligi debet pro conditione modoque mortalium; sic tamen ut debeant intelligere mortales, quantumcumque in hujus mandati observatione exerciti sint, semper superesse profectui locum.

PROXIMUM TUM, quemlibet alium hominem, quantumvis vilem, barbarum, aut incognitum tibi, etiam inimicum: D. Augustinus, epistola 52: *Proximus sanè hoc loco, inquit, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in quâ socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis?* Quæras: Quare igitur non dixit legislator: Diliges quemlibet alium hominem, sed dixit: Diliges proximum tuum? Ut nomen proximi simul suggereret tibi legis ipsius rationem; idcirco enim dilige juberis quemlibet alium hominem sicut teipsum, quia ille proximus sive socius tuus est, quia est id quod tu, homo, à quo nihil humani alienum est, ratione præditus, ad imaginem Dei factus, æternæ beatitudinis et summi boni, quod Deus est, capax. Quæ igitur ratione moveris ut teipsum diligas, moveris autem consideratione naturæ illius tuæ propriæ, eadem æquum est movearis, ut quemlibet alium hominem naturæ societate communioneque tibi conjunctum ac proximum diligas. Nec enim est tam barbarus aut impius, qui non sit nobis conjunctus hoc vinculo, quod sacrosanctum et inviolabile est, nec ullus privitate aboleri potest. In naturâ igitur communi, et in Deo communis naturæ auctore ac fine, considerandi sunt.

SCIRE TEIPSUM; subaudi, diligit, Syrus suâ phrasi, sicut animam tuam. Non præcipitur amor sui ipsius, sed ponitur ut certus et indubitatus, quem sponte, naturâ ipsâ duce, citra præceptum omne geramus. Cæterum non quivis amor sui ipsius intelligitur; est enim qui passim damnetur, et in amando seipso excedat modum, cujus duo præcipua sunt vitia, unum quo diligit homo seipsum secundum exteriorem maxime hominem, obsequendo concupiscentiis suis; alterum quo se solum diligit neglectis aliis. Intelligitur autem hic amor sui ipsius sobrius seu ordinatus, ejusmodi qui sequitur, non corruptum perversumque judicium, sed dictamen recte rationis, quo sollicitus est homo ut se conservet, et bonum congruum sibi procuret male adversantia repellat: quibus qui-

dem de rebus non est opus ut lex homini feratur. Dicit ergo lex, sicut teipsum diligis, quibus verbis duo vult: Primum corrigere vitium illud philantia; seu amoris tui, quo tibi ipsi nimium deditus, aliis neglectis tui solius curam geris; nam q. d. : Tu non solum teipsum, quod soles liberaliter, verum etiam proximum diligis, in eumque diffundes amorem tuum. Deinde præscribere vult modum quo proximum diligas, ne vel excedas vel desis. Quocirca non dicit, ex toto corde tuo, nam ille amoris modus soli debetur Deo; nec dicit, plus quam teipsum. Deum enim plus quam nos ipsos diligere jubemur, sed proximos, quantumcumque aliquando laudabiliter possumus, non tenemur, ubi agitur de ejusdem ordinis bonis, aliquando nec possumus. Rursus non dicit, propter teipsum, quia dilige proximum propter teipsum, non est nisi dilige teipsum, quemadmodum dilige proximum propter Deum, est dilige Deum, id quod superiori mandato præceptum non repetitur hic. Denique non dicit, æquè ac teipsum, sive quantum teipsum; sicut enim non teneris æquè bene facere proximo ac tibi ipsi rebus ipsis externis, quando scilicet aut impedit aut non urget necessitas; ita nec æquali animi ardore teneris bene velle; quantumcumque non possis invidere aut nolle ipsi æquè bene esse, aut etiam melius quam tibi; nam et tu hoc damnes in aliis erga te, ut in paupere divitias tibi invidente. Dicit ergo, sicut teipsum, quod est, simili modo quo teipsum diligis, ad exemplum et formam dilectionis tui, ut quemadmodum teipsum diligis verè et sincère, bonum tibi ipsi volendo ac faciendo, malum nolendo atque avertendo, itaque non contemptum ac viliter, sed propter tuum ipsius bonum, simili modo te habeas erga proximum. Itaque diliges proximum tuum sicut teipsum, hoc idem est quod Matth. 7, v. 12, Salvator aliis verbis extulit: *Omnia quæcumque vultis ut aiant vobis homines, et vos facite illis;* quodque huic ex opposito respondet, Tob. 4, v. 16: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu atiquando alteri facias. Ea est enim regula dilectionis,* ait Augustinus libri de vera Religione cap. 46, *ut quæ homo vult sibi bona provenire, et proximo velit; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit.* In summa, amor sui ipsius, naturalis ille et sobrius quem diximus, datur nobis regulæ et exempli loco, ad quem exigere oporteat amorem proximi; ut quavis re natâ, si scire velis quomodo te erga alium gerere debeas, consideres quomodo simili re natâ velles alium se gerere erga teipsum.

VERS. 28. — DIXITQUE; Jesus addit Syriacæ editio. RECTE. Nam in his duobus mandatis universa læ pendet et propheta, Matth. 22, v. 40.

HOC VAC. Quæris quid faciendo vitam æternam possidebis? Hoc fac quod duobus istis quæ recitata mandatis præcipitur; hoc opere præsta, non enim sufficit scire.

ER VIVES VITÆ ÆTERNÆ, id est, hoc faciendo vitam æternam possidebis. Vitæ æternæ initium in hoc seculo, et perfectionem in altero, addit charitas,

qualis illis duobus præceptis exigitur. Ut eadem est questio, quod diximus, hujus scribæ et adolescentis divitis, ita eadem est responsio Jesu. Nam hoc fac et vives, tantumdem est, quantum illud, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, Matth. 19, v. 17.

VERS. 29. — ILLE, laudatus quidem à scientiâ, sed admonitus facere quod sciebat, observare nimirum et opere implere præcepta charitatis quæ protulerat.

JUSTIFICARE SEIPSUM, justum se probare et declarare, seipsum à justitiâ commendare, ut scilicet justus haberetur et deputaretur, quod ait Augustinus, libri de Spiritu et Litterâ cap. 26; tanquam qui observaret illa præcepta ut oporteret, nec opus haberet ejus rei admoneri. Sic legimus infra, 16, v. 15; *Vos estis qui justificatis vos (pro justis vos venditis) coram hominibus; Deus autem novit corda vestra.* Tactus hic legisperito responso Domini, quod verba legis teneret potius quam faceret, quoniam tumebat opinione propriæ justitiæ, noluit agnoscere vitium suum, quoniam potius ab omni vitio culpæque se expurgare.

ER CONTINUANS sermocinationem est.

MEUS PROXIMUS, quem illo præcepto jubear diligere sicut meipsum? id est, sincero animi amore complecti, et, si indigeat, ipso opere juvare, quemadmodum velim mihi ab alio fieri; hoc est enim diligere sicut seipsum. Hoc rogat, non tam ut discat, quam ut appareat, ex eâ proximi definitione, quam, vel Jesus, vel requirente Jesu, ipse daturus esset, ipsum proximi non minus quam Dei dilectione probatum esse. Nam cum persuasus esset, se observatæ et Dei et proximi dilectione justum esse; magis tamen de proximi quæ de Dei dilectione ab Jesu aliisque hominibus posse dubitari (nec enim facile vir probus Deum non diligere videri possit), sperat ferendam hujusmodi descriptionem proximi, quâ fiat evidens, nec ad proximum diligendum quidquam ipsi deesse. Nam si in ipsum Jesus rejiceret hanc questionem, quemadmodum priorem, dicitur erat, proximum opponi inimico. Fuisse enim legisperitorum opinionem, licere olisse inimicum, manifestum ex eo fit, quod huic præcepto: *Diliges proximum tuum,* addiderit, tanquam expositionis causâ, et odio habebis inimicum tuum, Matth. 5, v. 43. Inimicos autem intelligebant, qui vel non essent Israelitæ, vel

VERS. 29. — ILLE AUTEM VOLENS JUSTIFICARE SEIPSUM, id est, ostendere, quam esset tenax ac studiosus justitiæ tam cognoscendæ quam faciendæ. Videtur enim putasse proximum à Christo definiendum esse more Pharisaico amicum, ut sic justus esse videretur, qui amicos tanquam proximos diligeret. Dixit itaque: *Et quis est meus proximus?* Non petit quid proximum impendendum sit: nam in hoc non multum differat lex ab Evangelio, sed quis sit proximus: quam latè enim ille pateret et intelligendus esset non erat veteris Testamenti tradere, ut August., lib. 85 Quæst. Evang., q. 53. Cum ergo proximus possit dici gente, vel amicitia, vel consanguinitate, vel humanæ naturæ communione, Christus ut legem perliceret, questionem illam ut tempestivam arripens.

inter Israelitas impii; solos Israelitas, eosque justos ac probos, reputabant proximos; cæteros, externos et alienos, quos odisse liceret, nec quidquam in eos beneficii conferre. Mens igitur istius est: Ego Deum inprimis, tum viros omnes probos meæ gentis, diligo, quid mihi deesse putes, vel ad proximi vel ad Dei dilectionem? Dicit igitur hic secundum rem, idem quod adolescens ille infra 18, v. 21: *Hæc omnia custodisti à juventute meâ; quantumcumque paulò aliâ mente.*

VERS. 30. — SUSCIPENS, scilicet vices respondendi. Euthymius, excipiens sermonem. Quidam vertunt, respondens, sed videtur paulò amplius significari, nimirum, respensionem latiore accurate remque fore, tanquam ex professo deocurans. Non hic detulit Jesus legisperito partes respondendi, conscius erroris quo laborabat; verum ipse suscepit respondendi partes, quod questio utilis esset, et legisperitorum circa eam error merito confutandus.

HOMO QUIDAM, natione Judæus seu Israelita, quod ait Augustinus, serm. 37 de Verbis Domini; adeoque Jerosolymitâ, quod Beda in Commentario. Fit verisimile, quod non tantum res possibilis sit, quæ docendi gratiâ hic ponat Jesus, verum etiam historia et res gestæ. Nam, præterquam quod tanquam rem gestam narret, si conficta fuisset, non fuisset legisperitus constrictus ad respondendum, quomodo respondit infra, v. 37; sed dixisset, commentum esse nunquam eventurum, confictum in invidiam sacerdotum et Levitici generis hominum.

DESCENDERAT, proficiscebatur causâ negotiorum suorum.

AB JERUSALEM, sitâ in locis Judææ montosis.

IN JERICHO, extimam Judææ civitatem ad fluvium Jordanem.

IN LATRONES, ut erat via latrocinii obnoxia, præsertim circa locum Adomim ideò dictum, quia multus in eo sanguis crebris latronum funebatur incurisus, quod ait Hieronymus, epistola 27, quæ est Epitaphium Paulæ.

QUI ETIAM, qui non solum ceperunt eum capivum, et abstulerunt ei quidquid haberet nummorum aut rerum pretiosarum, verum etiam despoliaverunt.

DESPOLIARENT, exerunt enim vestibus.

PLACIS IMPOSITIS, inflatis vulneribus. Hoc solent

VERS. 30. — SUSCIPENS, scilicet sermones sui vices respondendi, dixit, per modum parabola: homo quidam, natione Judæus, ut August., serm. 75 de Verbis Domini; videtur enim vel vera historia, vel certè parabola ex eventis illius temporis verisimilis. Nam via à Jerusalem in Jericho latrocinii erat obnoxia, ut Hieron., tum in cap. 30 Matth., tum epist. 27, ubi dicit locum Adomim inde vocatum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incurisus; qui præterquam quod ceperunt eum, etiam despoliarent eum, id est, vestibus exerunt, ut Græcè sonat, et placis, seu vulneribus, impositis, abierunt sensitivo relicto, hoc est, in miseriam statu, in quo nec se erat perire, si nemo succurreret.

nes, quoniam alii commodius duos denarios interprecarentur duo testamenta. Verum hæc ad mysticum sensum pertinent, non litteralem prosequimur.

VERS. 56. — QUIS, QUI ERGO, HORUM TRIUM, SACERDOS, LEVITA AN SAMARITANUS.

PROXIMUS FUISSE, proximum se agnovisse, exhibuisse, ac præstitisse.

ILLI QUI INCIDIT, illius qui incidit. Cum prima legisperiti questio fuerit: *Quis est meus proximus*, supra, v. 29, quem scilicet illo legis præcepto teneat diligere ut seipsum; videri possit Jesus hic interrogare de his: *Cui vel cuius horum trium proximus fuit is qui incidit in latrones?* nimirum ut manifestum evaderet quis esset legisperiti proximus, quem ille diligere et consequenter juvare egentem deberet. Sed quia ad hæc interrogationem respondisset haud dubium legisperitus, fuisse proximum sacerdotis et Levitæ, eò quòd genere ad eos pertineret; volebat autem Jesus eum cogere ut fateretur Samaritanum fuisse proximum illius; conversis verbis quasivit: *Quis horum trium proximus fuit illius?* Nec tamen extra sententiam primò propositæ questionis interrogavit, quia, ut ait D. Augustinus libri primi de Doctr. Christ. cap. 50, *proximi nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus, nisi proximo potest.* Quare si fateretur legisperitus, prout fateretur versu proximo, Samaritanum esse proximum illius Judæi qui in latrones incidit, consequenter fateretur Judæum, qui in latrones incidit, esse proximum illius Samaritani. Interrogat ergo *quis horum trium*, etc., ut ex legisperiti ore eliciat responsum quo eum damnet, et doceat, non solos Judæos, sed etiam extraneos, habendos esse pro proximis. Non enim poterat respondere legisperitus sacerdotem illius proximum fuisse aut Levitam; quia non simpliciter quærebatur quis genere aut cognatione, vel etiam ex legis mente, fuerit proximus, sed quis ita fuerit proximus, ut impleverit legem: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, id est, quis sancium illum agnoverit pro proximo; ita ut proximum se illius exhiberit ac præstiterit, ita ut proximi officio functus erga illum fuerit. Id dubio procul non fecerant sacerdos et Levita, nequaquam se ut illius proximis gesserant, aut se illius proximis esse ostenderant; et quamquam ex legis mente, reverè illius proximi essent, non tamen circa eum

sibi tradita, jam inde scilicet ab initio nascentis Ecclesie. Dicebat ille, inquit, *hominem, qui descendit, esse Adam, Jerusalem, paradysum, Jericho, mundum, latrones, contrarias fortitudines, id est, demones, sacerdotem, legem, Levitam, prophetas, Samaritanos, Christum, vitæna, inobedientiam, jumentum, corpus Domini, quo incarnatus est, pantheum, id est, stabulum, quod universos volentes introire suscipit, Ecclesiam interpretari. Porro duos denarios Patrem et Filium intelligi, stabulum, Ecclesie presidem, cui dispensatio creditur est, reversionem Samaritanum, secundum Salvatoris adventum. Cum quæ expositione ferè convenit illa August. loco cit., qui tamen per *Jerusalem* intelligit civitatem celestis pacis, *Jericho*, mortalitatem, *duos denarios*, duo præcepta charitatis, alii duo Testamenta.*

legem observant illi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, sed ut alienos se habentes præterierant miserum.

VERS. 57. — ILLE, legisperitus.

QUI FECIT MISERICORDIAM, seu beneficentiam, qui miserum adjuvit, opitulatus est.

IN ILLUM, cum illo, erga illum qui incidit in latrones. Non dicit, *Samaritanus*, quòd durum ipsi videretur id respondere; quia tamen rem fateri cogebatur, nisi carere se omni judicio proderet, loco nominis proprii causam afferret. Nam eo ipso quòd Samaritanus Judæo illi sancio benefecerat, declaraverat se proximum illius esse, id est, quòd se proximum illius agnosceret. Ergo quia opere ipso Samaritanus se ostenderat illius esse proximum, ut qui proprium proximi officium erga eum impleret, non potuit elabi hic doctor qui fateretur Samaritanum proximum fuisse, et legem de diligendo proximo circa Judæum observasse, quæ non solum id præcepit, ut interiori animi affectu diligas, sed multo etiam magis, ut circa eum, sicut circa teipsum, datâ opportunitate, exteriori opere id declares. Cum autem fateretur legisperitus Samaritanum fuisse proximum illius Judæi qui incidit in latrones, consequenter fateretur Judæum proximum fuisse illius Samaritani (proximi enim nomen reciprocum est, quòd superiori versu ex Augustino docuimus), non tamen ut benefactorem, sed ut eum cui benefactum esset.

VADĒ, ex Hebræicâ phrasi, est responsum absolute et dimittens à se.

ET TU, etiam tu FAC SIMILITER. Probat Jesus responsum scribæ, moneteque eum ut se ipse ad suam responsum accommodet. Nec tamen docet eum, proximum ejus esse qui ipsi benefecerit, tantquam soli benefactores habendi et diligendi pro proximis sint (nihil enim Judæum, erga Samaritanum benefactorem suum, egisse, et vel redamasse amantem, narraverat Jesus); quin potius docet proximum ejus esse, qui misericordiâ aut auxilio ipsius indigeat.

PAR SIMILITER, scilicet misericordiam, ut ille Samaritanus cum Judæo; si Dei de proximo sicut teipsum diligere velis implere mandatum. Samaritanus agnovit se esse proximum Judæi illius, necnon è diverso Judæum illum esse proximum suum; ac pro-

VERS. 56. — QUIS DOMINUM TRIUM VIDETUR TIBI PROXIMUS FUISSE ILLI QUI INCIDIT IN LATRONES? id est, agnovisse se illi et præstitisse proximum: per e. aritatis officia, nam, ut Aug. tract. 43 in Joan., Samaritanus sancio se præstitit proximum, quem non putavit alienum. Ex hoc autem colligendum reliquit Christus, illum sancium fuisse etiam proximum illius Samaritani, quia, ut idem August., lib. 4 de Doctr. christianâ, c. 39, proximi nomen ad aliquid est; nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Sic ergo indirectè solvit questionem legisperiti, quis esset ejus proximus, circa quem debet implere legem de diligendo proximo, nempe quolibet opis indigentes, etiam extraneos.

VERS. 57. — AT ILLE DIXIT: QUI FECIT MISERICORDIAM IN ILLUM: NAM IPSE OPERE DILECTIONIS DECLARAVIT

inde ut impleret legem sive Dei sive naturæ, dixit cum, non affectu tantum aut verbis, verum etiam rebus ipsis, adeoque plenissimis amoris officiis, sicut seipsum; ita tu, similis re natâ, ostende te proximum esse cuiusvis hominis tibi obvii et vicissim quemvis hominem proximum esse tuum circa quem observandum sit tibi Dei de proximo sicut teipsum diligendo præceptum; nullâ habitâ ratione an Samaritanus sit, an Israelita, an Judæus, an Græcus, an amicus, an inimicus, an justus, an impius, an cognatus, an extraneus, quemadmodum Samaritanus ille nullam horum rationem habuit. Rogaverat legisperitus: *Quis est meus proximus?* Jesus proponit ei imitandam exemplam Samaritani, qui in censendo proximo, nullam generis, patriæ, aut amicitie, sed solius communis humanæ naturæ rationem habuerat; docens eum omnem hominem esse ipsius proximum, etiam inimicum et à Deo ac verâ religione alienum; quem, ut Dei præceptum observet, animo diligere et pro re natâ ipso opere adjuvare debeat, quemadmodum velit sibi fieri ab alio. In hæc sententiam scribit D. Augustinus, lib. de Doctrinâ christianâ, cap. 50: « Cui Dominus ait: *Vadē, et tu fac similiter*, ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum esset si indigeret. Ex quo est jam consequens, ut etiam ille à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptam esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non evideret, quando usque ad inimicos etiam porrectum est, quales erant in primis Samaritani Judæis. In eandem sententiam Theophylactus: « Salvator, inquit, quoniam conditor ipse erat, sciens nos omnes unam creaturam, non operibus neque dignitatibus, sed naturâ definit proximum, etc. Omnes enim, inquit, qui ejusdem naturæ sunt, proximi tui sunt. Sis igitur vicissim et tu illis proximus, non Deo, sed affectione et studio erga illos. » Similia habet Titus. Ratio proximi in communi hominis naturâ fundatur: hominem enim hominis causæ creavit Deus, eunctosque ita inter se devinxit, ut se mutuo diligere juvareque teneantur, nullo habito respectu justitiæ, amicitie, generis, patriæ, nationis, aut quorumvis aliorum; quamquam sit ordo, si pluribus concurrantibus, nequeat unus omnes juvare. Egregiè ergo hic legisperitus, propriis verbis convictus docetur quis proximus ipsis sit, et quem datâ opportunitate Samaritanus, se proximum esse Judæo sancio, et consequenter illi sibi; itaque respondit ei Dominus: *Vadē, et tu fac similiter*, ut censes tibi proximum esse non solum generis, patriæ, amicitie, religione conjunctum, sed quemvis hominem, cui vel exhibendum esset officium misericordiæ; si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret, inquit Augustinus, loco cit. Omnis enim homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis, ut idem concione 8 in Psal. 118.

VERS. 58. — FACTUM EST AUTEM EUM IRENT, id est, dum peregrinarent Jerosolyman; nam hæc in eodem

tate proximum esse suum, ipso opere debeat ostendere; omnis, inquam, homo, etiam inimicus, adeoque exosus ob religionem perversam, qualis esset Samaritanus. Nec minus egregiè retunditur illius arrogantia, quâ putabat peribellè observatum hæcentis à se illum de proximo sicut seipsum diligendo præceptum, nec oportuisse ut Jesus ipsum ejus rei admoneret, eò quòd neminem ex Israelitis fratribus, presertim probis ac justis, læderet aut odisset: eum doceratur, si velit legem implere, et obtinere vitam æternam, etiam inimicos et alienigenas sicut seipsum diligere debere, id quòd certò hæcentis non fecerat. Porro non perinde constringeret hæc Jesu conclusio legisperitum, si res facta tantum esset, quam hæcentis narrat, non etiam gesta: videtur enim non verbo tantum velle docere ipsum, verum etiam exemplo movere, eoque à Samaritano summa, cuius pudere ipsum deberet, quòd inventus sit Samaritanus, in verâ pietatis dilectionis proximi ratione, superioris ius qui primas religionis in Judaico populo teneret. Alludere enim Jesus ad illud videtur, quòd aliis his hominibus objecerat: *Publicani et meretrices præcedunt vos in regnum colorum*, Matth. 21, v. 31.

VERS. 58. — FACTUM EST AUTEM, alia historia.

DUM IRENT, dum iter facerent, dum prædicarentur, scilicet Jesus ejusque apostoli, per castella et loca Judææ, ad quæ præmiserat electos discipulos septuaginta duos, prout dictum fuit supra, vers. 1.

ET IPSE INTRAVIT, ut ipse intraret; non dubium quin cum apostolis; sed solus ipse nominatur, tantquam viæ Dominus, ex cuius arbitrio penderet, quòd castellum unum post aliud, vellet apostolos secum ingredi.

CASTELLEM, pagum, vicum, nomine Bethaniam, quæ Joannis 11, v. 4, vocatur castellum Mariæ et Marthæ; id adnotavit etiam Euthymius.

EXCEPIT, suscepit; magno cum amore et honore.

IN DOMUM SUAM, id est, hospitio, quemadmodum suscipi solent peregrini; ait Augustinus, sermone 26 de Verbis Domini, quoniam in propria venientes: *Suscipit enim famula Domini, ægra Salvatore, creatura creatorem, spiritus pascentia in carne pascentium, dignatione non conditione.* Felix tanto hospite nullus, eò commendanda magis hospitalitatis virtute, quòd Judæorum primatibus exosum, immerito sæpe, suscipere.

VERS. 59. — ET IRENT, CUI ERAT,

inire videntur contigisse. INTRAVIT IN QUODDAM CASTELLEM; Græcè, *pagum quendam*, qui videtur fuisse Bethania; nam hæc, Joan. 11, vocatur castellum Mariæ et Marthæ. ET MULIER QUE DAM MARTHA NOMINE EXCEPIT ILLUM, sive quòd major esset natu, ut Bernard., serm. 3 de Assumpt., fuisse putat, sive quòd ipsa rem familiarem communemque procuraret et administraret; et ideo dicitur eum excepisse. IN DOMUM SUAM, quamvis et Mariæ et Lazarus in eâ habitarent.

VERS. 59. — ET IRENT ERAT SOROR, etc. QUÆ ERAT SEDENS; q. d., non obiter, sed ex composito, ut Aug.,

SOROR. Ambae, non totum carne, sed et religione germanae, ambae Domino coeuserunt, ambae Domino in carne presentiter concorditer seruiunt, quod ait Augustinus, sermone 26 de Verbis Domini.

NOMINE MARIA, cognomine Magdalena. Syriacè est *Mariam*, quo modo etiam Graecè scribit aliàs evangelista. Cur ergo vocata est domus Marthae potius quam Mariae? Fortè, ex divinis hereditate, domus Marthae erat, non Mariae; aut si utriusque, Martha familiam aiebat, non Maria, sive quia Martha esset senior natu, sive quia Maria iudicà à Judaea abfuisse, secuta Jesum ex Galilea; vide supra, 8, vers. 2.

AUDIEBAT, auscultabat, avitè excipiebat.

VERBUM, sermonem, doctrinam ILLIUS, loquentis de regno Dei. Jesus, ne domi quidem alienae hospitio exceptus, intermitti docendi studium: verum interea dum prandium paratur, ne quid temporis elabatur sine fructu, docet et evangelizat, edisserens Mariae, apostolis aliisque qui praesentes esse poterant, quae ad animarum salutem conferrent: prius hospites suos spiritaliter pascens, quam ab ipsis corporaliter pascetur. Docemur igitur Christum, quocumque accessit, non sibi privatim fuisse delitum, nec sua commoda, quietem, aut lautitas sectatam, sed hoc unum ei studium fuisse, ut aliis prodesset, utque munus obiret sibi à Patre injunctum. Quare Chrysostomus in *Catenam* adductus ait: « Exemplo suo docet discipulos, qualiter se gerere debeant in domibus eorum qui eos suscipiunt; ut scilicet applicantes ad domum, non resupini quiescant, sed potius replent suscipientes sacris et divinis doctrinis. »

ETIAM SEDENS. Audiebat verbum illius, non quovis modo, non stans et quasi aliud agens, non genu flexa et subinde ad negotia domestica exiliens, sed sedens, id est, composito ad hoc corpore, totam se audiendo discendoque adiecit, huic uni rei incumbens, aliis omnibus ex professo neglectis. Sessione significatur, quies, attentio, diligentia et assiduitas.

SECUS, ad, juxta FEDES. Sedere ad pedes, habitus est, non tantum mulieris, sed et discipuli, et humilitatem atque erga docentem reverentiam declarat; quae duo, quies, inquam, et humilitas, ad contemplationem necessaria sunt. *Quantò humilitas ad pedes sedebat*, inquit Augustinus, serm. 27 de Verbis Domini, *tantò amplius capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denat de tumoribus collis.* Delectabatur ergo Maria dulcedine divinarum rerum quae

serm. 26 de Verbis Domini, notat, nempe cum quiete, attentione, diligentia, assiduitate, quae per sessionem innuntur. SECUS, seu juxta, FEDES, prout et Paulus *juxta pedes Gamalielis*, eruditus fuit, nam iste habitus est discipuli, humilitatem et reverentiam erga docentem declarat. Unde Augustinus ibidem: *Quantò humilitas ad pedes sedebat, tantò amplius capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denat de tumoribus collis.* AUDIEBAT VERBUM ILLIUS, loquentis de regno Dei, simul ac domum ingressus fuit, ne quid temporis sine fructu laboraretur.

à Jesu docebantur, usque adeò ut praè his caetera omnia negligenda putaret.

VERS. 40. — MARTHA ATTEM. Maria quieta sedebat, uni intenta verbo Jesu; contra Martha

SATAGEBAT, distrahebat, occupabat negotiosa, et tanto excepto hospite sollicita erat, quae ratione illi satisfeceret, et pro dignitate tractaret.

FREQVENS, multum, varium.

MINISTERIUM, pertinens ad corporis rationem. *Præparabat quae necessaria erant ad convivium*, ait Euthymius, *et ad obsequium ejus ac discipulorum.* Cu-piebat ex officiosa charitate, Domino et frs quos secum Dominus adduxerat, diligenter omnia, affatim et accuratè administrare; idè distrahebat circa varia ministeria, dum assidue oporteret eam interesse iis quae preparabantur, et manus admove, ut recitè essent curata omnia. Et sanè ipsis tanquam matris-familias et hospitibus, magis quam sororis, intererat, curare ut nihil deceret hospitibus dignè excipiendi; sed interim distinebatur et ab audiendo verbo Jesu avocabatur. Par utriusque sorori pietas in Jesum, sed diversa pietatis functio erat; etiam pietas, duas sorores in Jesum diligenter concordans, ad res diversas agebat: Maria, vacans à domesticis externisque negotiis, assidebat ad pedes Jesu, audiens eum res divinas salutaresque docentem. Contra Martha, sollicita de apparatus convivii, huc illic cursitabat, satagens ne quid deceret, quod ad Jesum pro dignitate excipiendum pertineret. Eadem igitur erga Dominum charitas, Mariam quidem non patiebatur ab ejus pedibus divelli, Martham verò sursum ac deorsum agebat, nec patiebatur Domino adhaerere.

QUE STETIT ET AT. Quidam vertit, *supervenies igitur ait*; Syrus, *et venit et dixit*. Martha non laboris pertusa, sed eum non sulkeret omnibus obeundis, quae ipsi apparanda videbantur, tandem venit eò ubi docebat Dominus; et astans interpellansque sermonem ejus, dixit ei, proposità tanquam coram judice de sorore querelà:

DOMINE. Magna erat harum sororum erga Jesum reverentia.

NON EST TIDI CURAE. Non incusat Jesum, quod quidam adnotant, sed excitat ad sui respectum; q. d.: *Non te miseret mei, oppressae negotiis? non dubito quin ita. Sciebat Martha quòd Jesus non teneretur illi curare; sed confidenter loquitur, fiduciam ei suggerente, tum labore pro Jesu assumpto, tum humanitate Jesu.*

SOLA MINISTRARE, ut sola ministrare, ut sola ap-

VERS. 40. — MARTHA ATTEM SATAGEBAT, Graecè, distrahebat, circa FRECVENS MINISTERIUM, id est, sollicita erat in variis ministeriis ad convivium et ad obsequium Christi ac discipulorum ejus pertinentibus, ne quid talibus hospitibus deceret. QUE STETIT, nempe tamen vel lassata, ut Basil. in Const. monast. c. 2, vel obeundis ministeriis omnibus non sufficiens, et interpellans Dominum conconvitantem ait: DOMINE NON EST TIDI CURAE, per te impetris: verba videntur subaccusantis incuriam, vel certè excitantis ad respectum sui: QVOD SOROR MEA RELIQUIT ME SOLA MINISTRARE, in apparandis convivio necessariis: DIC

parem qua ad prandium necessaria sunt. Videbatur ei ratione alienum, quòd Maria ipsam desereret, nec ob Christi honorem et hospitum multitudinem sorori suam operam offerret. Accusatur itaque sororem.

ENGO, si tibi curae sum, de quo non dubito, DIC, jube. Non jube ipsa aut rogat sororem, partim quia sciebat eam sacra doctrina ita addictam, ut nisi juvante Jesu non posset avelli; partim quia eum sedere ad pedes Jesu docentis videretur, nixa permissu et auctoritate Jesu, non decreet ut, praeterito Jesu, citra veniam Jesu, ipsa sororem ab audiendo Jesu avocaret. Quare Euthymius, *dicit*, inquit, *tanquam præceptor.*

UT ME ADJUVET, ut mihi vicissim optuletur, ut *una necum ministerio manum admoveat*, ait Euthymius; est enim metaphora ab oneribus sumpta quae utriusque amodo manibus sublevantur. *Adjacet* autem, non in inferioribus ministeriis obeundis, quae per ancillas fiebant, sed in curà gerendâ; eum enim ipsa sola non sufficeret omnibus intendere, vult sororem obire partem curae. Nota, quod diximus, pio erga Dominum Jesum affectu, cupiebat sumptuosum convivium et multis abundans ferulis, lautè et mundè parare: id autem curam affert et sollicitudinem, exercetque totam domum, ita ut domesticorum nullus subtrahere se possit et gravioribus occupari. Cupit ergo Martha, ut surgat Maria, et relicto ad tempus studio audiendi ministerii, secum incubat eis quae in praesentiarum judicant necessaria: non quòd praeter administrationem familiarem studio verbi, sed quòd hoc tempore judicet magis necessariam, arbitrata judicium Jesu suo consensum fore.

VERS. 41. — RESPONDENS. Maria causam suam iudicij maluit committere, nec in respondendo voluit laborare, ait Augustinus, sermone 26, quod saepè aliàs faciens, semper Jesum patronum sensi, sup. 7, v. 40; Matth. 26, v. 10; id enim meruit suà tacturnitate, quam ex historis evangelicis flet observare, quae proprietatis, eos decet, qui contemplationis rerum divinarum studium proficiunt.

MARTHA, MARTHA. *Repetitio nominis, est indicium dilectionis, aut forte movendae intentionis, ut audiret attentius*; verba sunt D. Augustini, serm. 26 de Verbis Domini; et coniungenda est utraque causa.

TURBARIS, quidam vertunt tumultuaris. *Sed turbatus hoc loco, distractio est et turbatio*, ait Euthymius. Turbato autem fuit, non reprehensibilis et immoderata, sed qualis consequi solet sollicitudinem de rebus pluribus uno tempore curandis.

ENGA PLURIMA, circa multa; varia enim parari ju-

ERGO ILLI, saltem à me admonitus, UT ME ADJUVET. Dicit hoc vult à Domino, eò quòd se frustra à Marthae dicturam existimaret, vel indecens videretur, eam à docente avellere circa veniam.

VERS. 41. — ET RESPONDENS DIXIT: MARTHA, MARTHA; quae geminatione nominis compescit Martham, ac turbatam sedat, et tacitè subreprehendit; quam August., serm. illo 26, repetitionem nominis veli esse indicium dilectionis, aut fortè, inquit, movendae intentionis, ut audiret attentius. SOLICITA EST ET TURBARIS ERGA PLURIMA; eà turbatione qualis conse-

bebat genera ferulorum, et varias supellectilem disponebat, ut convivium exhiberet tanto hospiti dignum. Revocat Jesus Martham à tantà distractive, admonetque deponere sollicitudinem non necessariam, quia multis non sit opus, quod sequitur.

VERS. 42. — PONO UNUM EST NECESSARIUM, quia autem est opus. Pericipo hanc multi ad sequentia referunt; nos cum aliis item multis, praecedentibus connectere malimus; praesertim eum subsequens pericipo, suam Graecè et Syriacè habeat conjunctionem adversativam. Rationem ergo addit Jesus, cur dehortetur Martham à multis tantà curâ parandis, quia uno solo sit opus, quia unum ferulum, unum cibi genus, sufficiat, ad usum vitae unicum sufficit ferulum. Basilis, quæstione 20, inter fusiòs explicatas, citans hunc locum: *Paucis*, inquit, *vel uno est opus, paucis quidem ad apparatus videlicet, uno verò scopo ut necessitas expleatur.* Similiter Titus: *Non eà de causa hic venimus, ut supervacanis escis ventrem impliamus, natura enim paucis contenta est.* Denique Theophylactus: *Uno nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercumque, non vultis.* Non requirebat Jesus lautam et opiparam mensam, vulgari ac parabili cibo contentus erat, quæ ejus erat temperantia. Sed quavis apparatus plurium necessarium non esset, neque Jesus illam requiret; non tamen ingratum fuit Jesu varium ministerium Marthae; neque peccavit illa ob superfluum apparatus aut sollicitudinis excessum; quia licet Jesus non requiret varium cibum, quippe non necessarium, rectè tamen Martha illum paravit et obtulit Jesu, ut suam erga Jesum fidem charitatemque declararet, et ostenderet quanti faceret Jesum, quem agnoscebat se pro dignitate excipere non posse, quantumcumque conaretur accuratè. Multa in se ipsis considerata parvi aut nullius sunt à Jesu: quae tamen ex fide pioque affectu oblata, gratissimam sunt: exemplo sit unguentum illud pretiosum, sub mortem Jesu à Mariâ Marthae sorore in caput recombentis effusum, Matth. 26, v. 7. In hanc sententiam scribit Augustinus, sermone 27 de Verbis Domini: « Putamus reprehensum esse ministerium Marthae, quam cura hospitalitatis occupaverat, quae ipsum Dominum hospitio receperat? quomodo rectè reprehendebatur quae tanto hospite labatur? In eandem sententiam Ambrosius: « Nec Martha, inquit, in bono ministerio reprehenditur, sed Maria quòd meliorem partem sibi elegerit anteferat. » Sed et Cassianus, collat. 1, cap. 8: « Cum laboraret Martha, pia sollicitudine ac dispensatione distenta, sola se videns ad

qui solet sollicitudinem de pluribus rebus uno tempore curandis.

VERS. 42. — PONO UNUM EST NECESSARIUM. August. ad sequentia hoc referre solet, ut significet contemplationem illius unius detatis esse necessariam, quam opponit multis ministeriis bujus vitae bonis quidem, sed carnalibus, quibus occupatur Martha. Alii unum intelligunt illud quod Maria fecit abbat, scilicet audire verbum Dei; quod in idem ferè redit. Non incongruum tamen interpretationem dant plerique Graeci, Titus, Theophyl., et imprimis Basil. in Reg-

tantum ministerium non posse sufficere, adiutorium sororis à Domino postulabat, dicens: *Non est tibi cura*, etc.; utique non ad vile opus, sed ad laudabile eam ministerium provocabat. Et tamen quid « audit, » etc. Quid ergo est quod Jesus vult Marthæ dictum, si nihil in eâ reprehendit? facientem bene, admonet ut meliora sequatur, aut si non admonet ut sequatur, certe ponit ei meliora ob oculos, sororis quietem præferens ipsius occupationi, his quæ sequuntur verbis: *Maria optimam partem*, etc. *Non opus reprehendit*, ait iterum Augustinus, *sed munus distinxit*; et Beda: *Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur*. Quare non prius quidquam Marthæ Jesus dixit, quam illa conaretur sororem à studio divini verbi ad corporis ministerium abstrahere: quod si illa animo ad varia apparatus distracto peccasset, suâ illam Jesus sponte ejus rei admonisset, et ut se sorori ad audiendum verbum jungeret, jussisset.

MARIA. *Maria autem*, quomodo legitur Græcè et Syriacè. Conjectio adversativa peripocin hanc à præcedenti separat, quemadmodum paulo antè diximus.

PARTEM, functionem, studium, genus vitæ; nimirum, discendis et contemplandis rebus divinis incumbere: quâ phrasi legitur psalmi 118, v. 57: *Portio mea, Domine, custodire legem tuam*. Atque omnino frequens est in sacris Litteris, ut quod alicui oblitum continet possidendum, agendum, tolerandum, electione, sorte aut merito pars ejus dicatur, metaphorâ sumptâ à partitione hereditatis. Thren. 5, v. 24: *Pars mea Dominus*. Job. 27, v. 15: *Hæc est pars hominis impii*, etc. Psalmi 10 v. 7: *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Psalmi 15 v. 5: *Dominus pars hereditatis mee*.

OPTIMAM, illam bonam, quod interpres plenissimè expressit, *optimam*. Et quia certum est hic fieri comparisonem, conferrique inter se functionem Mariæ et functionem Marthæ, hoc enim veteres omnes intellegendi; hinc fit, ut D. Augustinus, sermone 26 et 27 de Verbis Domini, Ambrosius in Commentario, et Cassianus collationis primæ capite 8, non solum intelligant, verum etiam aliquoties legant, *meliozem*. Ambrosii verba mox dedimus. Augustini sunt: *Non tu malam, sed illa meliozem*. Cassiani hæc: « Cùm Marthæ sancto utique ministerio deserviret, utpote quæ ipsi Domino ejusque discipulis ministraret, et Mariæ spirituali tantummodo intenta doctrinæ, Jesu pedibus inhæreret, præferret tamen à Domino, quod meliozem elegerit partem. » Conferat igitur inter se Christus, partem Mariæ et partem Marthæ, ut pudere debeat Calvinum, qui negat ullam hic fieri comparationem.

fusius disputatis, quæst. 20, juxta quam Christus significat unum esse necessarium, ut scilicet necessitati corporis fiat satis, ad quod paucis vel uno opus est cibo, quia natura paucis contenta; ut ita unum tacitè opponatur pluribus fereulorum generibus, quibus Marthæ parandis intenta erat. MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT; Græcè, *bonam*, sed cum articulo emphasin significante, q. d., illam bonam seu excellentem

tionem: nam et partis nomen nonne ad aliquid est? et nonne quæstio hic et inter Martham et Mariam, utrùm Mariæ, relicta suâ parte, transire debeat ad partem Marthæ, necne? Quare iterum Cassianus illo loco: « Nam eùm dicit: *Maria bonam partem elegit*, licet taceat de Marthâ, et nequaquam eam vituperare videatur, illam tamen laudans, hanc inferiorem esse pronuntiat. » In eundem sensum interpretantur Græci, Titus, Theophylactus, Euthymius, ut Marthæ quidem virtus magna et bona, Mariæ autem major et excellentior fuerit; ex quibus Euthymii verba sunt: « Bonam partem dixit, non quod altera mala sit, sed bonam hic appellat eam quæ melior est. Potest enim fieri, ut duorum honorum, unum altero melius sit. » Sed æque nam est pars illa optima Mariæ? Sedere ad pedes Jesu et audire verbum ejus, discendis et contemplandis rebus divinis incumbere (quod diximus), Deo vacare, et posthabitis iis quæ corporis sunt, totum in his esse que sunt animi. Hæc est pars optima, pars, inquam, est, eorum qui eam elegerint sibi in hac vitâ sectandam, quibus decretum est huic præcipue rei in hac mortali vitâ incumbere. Nam qui aliquando dumtaxat id faciat, is non habeat hoc sibi pro parte. Quam ob rem sequitur hic verbum, *elegit*.

ELEGIT, quo significatur Mariæ Magdalenam, non solum nunc intentam esse Dei verbo, verum etiam id præcipue functionis sibi delegisse in vita obviandum. Atque hæc est pars optima, id est, longè melior eâ ad quam Marthæ Mariam conabatur atrahere, curare, inquam, ea que facerent ad reficienda corpora Jesu ejusque discipulorum, melior hospitalitate et corporali pauperum curâ, quanto spiritalè præstat corporali, et cibus mentis cibo ventris. *Per alterum enim corpus pascitur, per alterum anima vivificatur*, ait Theophylactus. « Bonum est hospitale esse, inquit Euthymius, verum melius Deo assidere: illud enim corporale est, hoc autem spirituale. » Maria, inquit Chrysostomus, non ministrabat, sed discipula; hic etiam erat, et spiritualibus magis afflicta; neque enim ministrabat tanquam vacatâ, neque communi vacabat ministerio, sed soli Jesu honorem impendit, neque tanquam homini adest, sed tantum Deo. » Ilanc autem partem minis bonam, an sibi præcipue in vitâ sectandam elegerit Marthæ, non expressè dicit Jesus; possit enim intelligi, Mariæ pars melior dici eâ cui Marthæ presentiarum incumbit: videtur tamen id insinuare, præsertim cùm et postea disertè de Marthâ legamus quod accubente Jesu ministraverit, Joan. 12, v. 2; ita ut videtur hæc ejus fuisse propensio adeoque vocato, sicut piasque functionibus, sed corporalibus atque exterioribus

bonam, quod noster *optimam* dixit et consequenter meliozem quam Marthæ, sicut legit August. Itaque non opus Marthæ reprehendit, sed partem, id est functionem, studium, genusque vitæ Mariæ prætulit. Non tu malam, inquit August., serm. 27 de Verbis Domini, sed illa meliozem. Pars autem illa est sedere ad pedes Jesu, et audire verbum ejus, hoc est, discendis et contemplandis rebus divinis incumbere, quod

vacare. *Unusquisque enim propriam domum habet à Deo, alius quidem sic, alius verbò sic*; 1 Cor. 7, v. 7. Præfert ergo Jesus functionem Mariæ functioni Marthæ, et otium illius hujus negotio, malens, attentè, cæteris postpositis rebus, audiri, quam laudis cibus tractari; quasi dicat: Non est quod queraris de sorore, quod te eam relinquat ministrare, quasi minus benefaciat in eo, quod tecum non curet ea quæ ad corporis mei refectionem faciant: scito optimam partem ab ipsâ electam. Ministerium tuum bonum est quidem et mihi gratum; sed quod illa agit, melius est, mihique gratius. Judicium longè ab humano diversum. Dicerent homines Martham pro Christo laborare, nimirum prandium Christo esurienti parare; Martham verò, Christo neglecto, sibi vacare et quieti suæ. Atqui testatur Dominus, functionem Mariæ, cui non usque adeo curæ erat quali convivio Dominus exciperetur, meliozem esse sibi que gratiore, gratius sibi esse eorum studium qui avidi sunt ad audiendum verbum Dei, quam eorum qui solliciti sunt ut ipsum corporaliter pascant; scilicet ab illis quam ab his, suavius se reficit et amplius honorari.

QUE PROINDE NON AUFERETUR AB EA, quæ cùm sit optima, et melior tuâ, non auferetur ab eâ, ut ad tuam transeat; *non auferetur*, me auctore, neque nunc neque in secula. Adiccat se audiendo et meditando verbo Dei rebusque celestibus, quantum velit et possit hæc in mortali vitâ (ubi interdum servire oportet corporis necessitati); ego nunquam ei præcipiam, ut hæc functione relicta, transeat in partem sollicitudinis tuæ, parantis mihi convivium splendendum; nunquam jubebo, ut spiritali hæc functione intermissa, te adjuvet in his rebus externis minusque necessariis; quod si etiam necessarie sint,

Maria elegerat, id est, toto vitæ studio tanquam partem seu sortem sibi propriam sectandam ceperat, sicut è contrario Marthæ officia pietatis corporalia, de quo etiam Joan. 12, v. 2. *QUE NON AUFERETUR AB EA*, neque in hac vitâ, neque in futurâ. Auferetur enim aliquando omnis necessitas, seu corporalis hospitalitatis; æterna est dulcedo veritatis, inquit August. Per hoc ergo Dominus dat rationem cur melior sit pars Mariæ, sicut et Apostolus charitatem dicit esse majorem fide, et spe, eod quod his transeuntibus illa ma-

erunt alii qui eis incumbat. Nec enim id quod est melius et perfectius, dimittendum est ob id quod minus bonum minusque perfectum est. Imò si perseveret tua soror, totam vitam divinarum rerum contemplationi impendere, ne vitæ quidem hæc finiente auferetur ab eâ hoc studium, vel meli vel quovis alio faciente, qui potius augebitur et perfectetur. Tuum ministerium locum non habebit in æternâ vitâ; hæc sororis tuæ functio poterit esse æterna. « In hac vitâ augetur, in aliâ vitâ perfectetur, nunquam auferetur, » ait Augustinus, serm. 26 de Verbis Domini: à te auferetur aliquando omnis necessitatis; æterna est dulcedo veritatis. » « Activa enim vitâ, inquit Beda, cum corpore deficit: contemplativa autem hic incipit, ut in cœlesti patriâ perfectatur. » Cùm ergo Maria suaviter audiret verbum dulcissimum, et corde intentissimo pasceretur; interpellato Domino à sorore suâ, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus: Surge et adjuva sororem tuam? Mirâ enim suavitate tenebatur, quæ profecto major est mentis quam ventris. Excusata est, sed scurior: ipse enim ejus factus est advocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Notum est ejus utar verbis. Postremò monent rectissimè hic plerique omnes catholici tractatores, in his duabus sororibus figuratam à Domino duplicem vitam bonam, seu duplex genus vitæ bonæ future in suâ Ecclesiâ; secundum tropologiam quidem, activam vitam et contemplativam; juxta anagogen verò, presentem et futuram (nec enim exstat in hac mortali vitâ, vitâ præ contemplativa), Marthâ quidem activæ et presentis, Mariâ verò contemplativæ et futuræ, typum exprimentie: de quibus latè Augustinus, illis jam sæpè laudatis sermonibus de Verbis Domini.

neat in æternam. Hoc ergo signum est corporalia exercitia non per se intendi à Deo, sed ut media, per quæ ad optimam partem, hoc est, ad scientiam claritatemque veritatis veniatur. Notant autem plerique Patres, et imprimis August., serm. 26 et 27 de Verbis Domini, duas vitas in his mulieribus figurari, tropologicè quidem activam et contemplativam, anagogicè verò presentem et futuram, laboriosam et quietam, ærumnosam et beatam, temporalem et æternam. Vide August. latius.

CAPUT XI.

CHAPITRE XI.

1. Et factum est, cùm esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos.
2. Et ait illis: Cùm oratis, dicitis: Pater, sanctificet nomen tuum: adveniat regnum tuum;
3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;
4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis; et ne nos inducas in tentationem.
5. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum mediâ nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,
6. Quoniam amicus meus venit de viâ ad me, et non habeo quod ponam ante illum:

1. Un jour, comme il était en prière en un certain lieu, après qu'il eut cessé de prier, un de ses disciples lui dit: Seigneur, apprenez-nous à prier comme Jean l'a appris à ses disciples.
2. Et il leur dit: Lorsque vous prierez, dites: Notre Père, que votre nom soit sanctifié; que votre règne arrive;
3. Donnez-nous aujourd'hui notre pain de chaque jour;
4. Et remettez-nous nos offenses, car nous remettons aussi nous-mêmes à tous ceux qui nous sont redevables; et ne nous abandonnez point à la tentation.
5. Il leur dit encore: Si quelqu'un d'entre vous avait un ami; qu'il allât trouver au milieu de la nuit, et qu'il lui dit: Mon ami, prêtez-moi trois pains,
6. Parce qu'un de mes amis, qui est en voyage, vient d'arriver chez moi, et je n'ai rien à lui donner;